

Clarissime vir et amice charissime. Hodie primum libri a te
 ad nos missi Romā appulerunt. Haec causa est cur tam sero ad huma-
 nissimas litteras tuas respondeam. Accepi excusationem parentis
 tui, cuius memoria in benedictione sit, cur libellos meos adver-
 sus regem Anglorum, et adversus Gulielmum Barclaium typis tuis ex-
 cudendos non putaverit. Quaque neque ego istic eos excudi mandave-
 rim, neq; ue me sciente Paullus Gellius id faciendum curaverit. Quod
 a me petebas, ut cum D. Scipione Cobellutio agerē de Brevibus Apos-
 tolicis, libenter feci, et si opus fuisset apud ipsum etiam Summum
 Pontificem intercessisse. Libros ad me missos accepi, quia missi
 erant, alioqui enim munera non libenter admitto, et quoniam egre-
 gie excu sunt sunt, et multi etiam sunt, gratias ago liberalitati
 tuae magnas, et multas: et vicissim paratus sum, si quid hic possum
 in tui gratiam libentissime praestare, praesertim quia cum Domino
 Christophoro Plantino, avo tuo, viro ~~eximpiissimo~~ insigni, et de repu-
 blica christiana optime merito, non parva necessitudo mihi aliquan-
 do intercessit. Vale, et de Ecclesia catholica typographic studio
 bene mereri perge. Roma, die 8 Novembris 1612.

Tibi ac tuis ex animo addictiss^{us}

^{lis} Robertus Card^{lis} Bellarminus.

Baltazari Moreto typografo. Antverpia.

Clariss^{mo} viro Dno Balthasari Moreto typographo Antverpiens.,

amico chariss^{mo}.

Antverpia.